

† R. P. Nicolaus Franzen.

(*Prov. Amer. S. Ludovici*).

† R. P. Nicolaus Franzen.

(*Prov. Amer. S. Ludovici*).

Primo mane feriae V in Cena Domini, quae fuerunt calendae apriles a. 1926 placuit Altissimo e provincia S. Ludovici ad se vocare virum, qui rebus in variis domibus optime administratis de provincia bene meritus est. E domo et communitate S. Michaelis Chicaginensi Detroiti tamen mortuus est anno aetatis sexagesimo, cum magnos cancri ulceris in facie exorti dolores diu toleravisset.



Patris Franzen parentes e Germania in Americam migraverant et Chicagine in illa regione, cuius Patres nostri ad S. Michaelem archangelum curam gerunt, consederant.

Ibi die 2 mensis octobris a. 1866 Nicolaus natus est quartus e quinque fratribus germanis. Duas praeterea sorores habuit. Optima parentum disciplina usus puer deinde in schola religiosa Fratrum Mariae prima institu-

tione excultus est et tredecim fere annos natus mense septembri a. 1879 cum duobus scholarum Chicagine sociis in iuvenatum nostrum Kansanopolitanum ingressus est ibidemque quattuor annis post superatis humanitatis studiis noviciatum incepit, ac die festo S. P. N. Alphonsi anni 1884 vota religiosa perpetua nuncupavit. Provincia S. Ludovici anno 1875 erecta tunc studentatum proprium nondum habuit, quare Ilchestriæ in studen-tatu provinciae Baltimorensis studiis maioribus operam dedit. Quibus bene absolutis cum duobus illis scholarum ubique sociis Ludovico Brander et Iosepho Lenz die 25 mensis aprilis a. 1889 in ecclesia nostra sibi paene patria ab archiepiscopo Feehan ordine sacerdotali auctus est. Hi tres primi erant sacerdotes nostræ Congregationis e sacro communi nostro Chicaginensi orti, quos deinde alii non pauci secuti sunt. In eadem ecclesia nostra tres novelli sacerdotes tribus dominicis continua ex ordine primitias sol-lemnes obtulerunt. Fideles adulescentiae socii autem Nicolaum nostrum mox solum laborantem reliquerunt, cum P. Lenz iam die 26 m. octobris anni 1897, P. Brander die 13 mensis februarii a. 1900 vita cessissent.

Mense augusto eiusdem anni 1889, cum interea in domo provinciali S. Ludovici cum duobus sociis theologiae morali plenius addiscendae operam dedisset, in iuvenatu Windsor Springs rectore ac directore P. Iosepho Schwarz docendi munus suscepit, quod magna cum laude obivit. Post tres magisterii annos praefecto celeberrimo Patre Neu in eadem iuvenatus domo alterum noviciatum egit, quo absoluto Chicagine primum ad S. Alphonsum in labores apostolicos incubuit, sed iam mense septembri 1895 iterum ad cathedralm vocatus est in studentatu Kansanopolitano phi-losophiam primum, deinde theologiam dogmaticam docere iussus, et mortuo studentium praefecto in eius etiam per aliquod tempus locum suffectus.

Interea superiorum fiduciam adeo in se converterat, ut iam anno 1898 nondum triginta duos annos natus in Windsor Springs et familiae domus et iuvenatui simul praeficeretur, ex quo tempore usque ad ultimum vitae triennium vix umquam et brevi tantum tempore a superioris munere vacare potuit. In iuvenatu sex annos utroque munere functus est. Quo tempore eum supremæ classi linguae latinae ipsum semper praefuisse, disciplinae domesticæ studiosissimum fuisse et litterarum studia haud parum promovisse narrant. Altero illo triennio etiam Superioris provinciae consultor fuit a secretis et, cum ille iter Romanum suscepisset, eius vice provinciae praefuit.

Anno 1904 ad S. Alphonsum Chicagine ei Rectori creato aes alienum scholæ ibi aedificatae causa contractum sollerti ac provida curatione ex-solvere contigit. Tribus annis post S. Ludovici minister et P. Provincialis iterum consultor creatus est, sed anno 1909 vocalis provinciae electus Romam ad capitulum generale perrexit, quo finito in eadem civitate S. Lu-dovici collegii Rector dictus est. In hoc rectoratu ecclesiam ibi S. Al-

phonsi reficiendam et exornandam curavit. Post sex annos Detroitium iterum Rector vocatus est, ubi scholae aedificium, quod 2.000 liberorum non sufficiebat, nova accessione ampliavit et, cum quinque Fratres Mariae, ut optaverat, ad instruendos in classibus superioribus pueros obtinuisset, eis aedes spatiose, in quibus habitarent, aedificavit.

Triennio elapso a rectoratu mense iulio liber a. 1918 iterum in civitatem S. Ludovici concessit, sed Rectore P. Thoma Brown repentina morte abrepto in eius locum iam die 28 mensis februarii a. 1919 suffectus et simul P. Provinciali a consiliis admonitionibusque additus ac, cum capitulum generale in annum 1921 indictum esset, iterum a provincia ad illud legatus est. Tum etiam novum altare egregia arte e marmore carario confectum ex Italia comparavit, quod gratiosae imaginis Matris de perpetuo succursu digna urbe S. Ludovici et ecclesia S. Alphonsi sedes esset. Quae Mater de perpetuo succursu qua veneratione ibi colatur, ex eis repetere licet, quae in *Analectorum* vol. III, pag. 157 ss. dicta sunt.

Sed nondum regendi atque administrandi finis fuit. Cum enim e capitulo generali revertisset, in patria sua Chicagine ad S. Michaelem collegio nostro praefectus est, a communitate non minus quam ab amicis cognatisque suis cum gudio exceptus. Multa etiam ibi ab anno 1921 ad 1924 suscepit, ut bonum tam spirituale quam externum proveheret, scholae praesertim nostrae. Campanis etiam concentu quodam musico in turri ecclesiae sonantibus comparatis memoria eius perennis servatur.

Ultimis duobus huius rectoratus annis in facie Patris Franzen cancri ulcus oriri eique periculum minari coepit. Ideo anno 1924 rectoris munere liber Chicagine mansit, ut medicorum cura frui posset. Sed res in peius semper vertebatur, cumque mense octobri anni 1924 intestini caeci, quam appendicitem medici nunc dicunt, sectio chirurgica necessaria esset, qua tres menses lecto defixus viribusque valde debilitatus est, faciei ulcus in peius etiam mutatum est. Mense itaque novembri Detroitium migravit, ut medici talis morbi singulari peritia celebris cura uteretur. Sed ne is quidem ei medendo par fuit et de P. Franzen vita conclamatum esse cognitum est.

Ac tum quidem praesertim apparuit, quod ceterum nemo umquam dubitavit, hominem navum atque industrium, rebus administrandis summo studio intentum ac numquam non laetum hilaremque, etiam religiosissimum fuisse. Cum enim doloris viam ingressus spem salutis recuperandae evanuisse cognovisset, illico Dei voluntati totum se dedit ac patientia miranda dolores in dies crescentes pertulit. Ipse tempestive rogavit, ut sacris moribundorum sacramentis muniretur. Sodales amicosque id unum rogarabat, ut pro se Deum precarentur. Patri Provinciali ex occultis cordis sui concredidit se dolores pro favore Dei benignitate sibi concessso habere. Deoque pro sancta ac piaculari malorum suorum virtute ex imo corde

gratias agere. Inter sodales orantes, cum tanta perpessus esset, mane summo feriae V. in Cena Domini, calendis aprilibus a. 1926, animam bonam Deo reddidit.

Corpus P. Franzen Chicaginem portatum ex ecclesia nostra S. Michaelis magna sodalium clerique ac populi comitante multitudine in coemeterium S. Bonifacii elatum est, animam inter filios S. Alphonsi iam in Dei pace conquiescere confidimus.

P. Provincialis Cantwell in funeris sollemnibus praeter alia his verbis naturam et vitam eius descripsit: «P. Franzen homo fuit magno mentis acumine magnaque in iis, quae sibi persuaserat, virtute ac constantia praeditus, qui, quidquid rectum esse iudicaverat, fortiter patefacere ac perficere numquam dubitavit. Sacerdos fuit animarum salutis studio incensus, Congregationis filius amantissimus, cuius gratia haud raro sua commoda effudit ». R. i. p. !